



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 102. Adversa Burgundiæ Ducis valetudo

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Rex liberos, ac Cambriensem, & Mon-Sæcul. XV.
 melianensem arces Ducissæ restitueret, A.C. 1476.
 eidemque denuo plenæ administrationis
 auctoritatem assereret. Rebus ita com-
 positis Ducissa voti compos facta, lætan-
 ti animo in Sabaudiam redibat, ac con-
 stanti deinceps amicitia vinculo Ludo-
 vico Regi juncta, pactum cum eo initum
 inviolabili religione coluit.

§. CII.

*Adversa Burgundiæ Ducis
 valetudo.*

Ceterum reapse Burgundus Campaniæ
 Gubernatoris facinus haud quaquam
 inultum reliquisset, nisi aliud gravioris
 momenti negotium exercitus sui reli-
 quias aliorum avocasset; Lotharingus
 enim copias suas Nancejensi urbi admo-
 vebat. Erat illa mille ducentorum præ-
 sidio munita, quos inter sub Duce Co-
 chino, & urbis Gubernatore Bieverio tre-
 centi erant natione Angli. Jamjam
 Lotharingiæ Ducis milites quadragesi-
 mum omnino diem in urbis obsidione hæ-
 rebant, & quamvis lento admodum pro-
 gressu moenibus appropinquarent, nihi-
 lominus obsessi efflictim Burgundiæ Du-
 cem rogabant, ut civitatem ab hoste li-
 beraret. Ast iniquissimo eorum tempo-
 re Burgundus tum atræ bilis vehemen-

Bievers

Sæcul. XV.
A. C. 1476.

tia tantopere exagitabatur, ut non solum a corporis valetudine, sed etiam ab animi tranquillitate penitus discessisse videretur. Insuper tam gravi sanguinis æstu fervebat, ut nullo remedio pectus refrigerari potuerit, quamvis proscripito vini usu duntaxat hordei decocto potaretur. Cum vero paulo post nova bilis accessio succederet, non minori frigore torpebat, quam antea calore æstuabat, adeo, ut Medici nequidem generosissimo vino naturalem calorem revocare possent, testaturque Comminæus, quod curcubitæ accensa stupa repletæ pectori eo sine fuerint adhibitæ, ut earum ope refugus sanguis ad cordis sinum attraheretur.

Commin. l. 5.
cap. 5.

Potissimum vero Dux assidua curarum vexatione, atque animi angoribus noxiam humorum intemperiem nutriebat, quæ tandem in tetram melancholiam degenerabat. His malis agitated Campo-Bassio, ejus suprameminimus, negotium dedit, ut Nancejum obsidione liberaret. Hic autem insigni Ducis sui in eum fiducia adeo nihil commotus erat, ut etiam nova indies in ejus perniciem consilia animo volutaret.

§. CIII.

Nancejum Campo-Bassii prodicione a Lotharingicæ Duce captum.

Quippe Campo-Bassius denuo Ludovicum